An. et vol. CVIII 2 Septembris 2016 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

LITTERAE DECRETALES

Quibus Beatae Mariae Christinae ab Immaculata Conceptione Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Operamini non cibum, qui perit, sed cibum, qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis vobis dabit; hunc enim Pater signavit Deus!» (*Io* 6, 27).

Beata Maria Christina ab Immaculata Conceptione, in saeculo Adelaidis Brando, haec Evangelii verba intense vixit atque amorem in Eucharistiam propositum suae vitae effecit, quam in continua peregit Iesu in hoc Sacramento adoratione.

Neapoli die I mensis Maii anno MDCCCLVI orta est ac iam puella ingressa est viam mortificationis et sanctitatis quaerendae. Primam Communionem fecit die VIII mensis Decembris anno MDCCCLXIV atque deinceps Eucharistia in medio exstitit eius cogitationum et affectuum, cum studeret victima fieri Domino consecrata. Namque asserebat: «Utinam operam condere possim destinatam ad expiandas iniurias et contumelias, quas Iesus patitur ab hominum ingratitudine». Apud varias religiosas communitates accepta est,

sed infirma valetudo coëgit eam in familiam revertere. Attamen firma voluntate se plane dicandi Sanctissimi Sacramenti cultui anno MDCCCLXXX cum quibusdam sociis Neapoli perpetuam incohavit adorationem. Beata sensit suum locum esse iuxta tabernaculum, ut se offerret cum Iesu Hostia, victima reparationis expiationisque perennis. Validum auxilium et solacium invenit in sancto Ludovico a Casaurea et in Venerabili Servo Dei Michaële Angelo Longo de Marigliano. Propter suam magnam humilitatem conabatur ante mundi oculos se abscondere, sed celeriter quaedam iuvenes, eius virtutibus haud communibus attractae, in parvam eius communitatem accipi postulaverunt. Anno MDCCCLXXXIV sedes nascentis Congregationis in Casauream est translata, approbante Eminentissimo Cardinale Guglielmo Sanfelice d'Acquavella, O.S.B., Archiepiscopo Neapolitano. Etiamsi communitas in extrema paupertate viveret atque Fundatrix semper infirmae esset valetudinis, sociarum eius numerus auctus est ideoque aliae domus sunt constitutae. Anno MCMIII data est approbatio pontificia Congregationis sub nomine officioso «Victimae Expiatrices Iesu Sacramentati» atque Fundatrix una cum viginti sociis vota perpetua nuncupavit. Propositum operae desideratum a Beata erat adoratio perpetua atque divini cultus erga Sanctissimum Sacramentum promotio. Ex Domini amore desiderium ortum est humanae christianaeque iuvenum de humilioribus coetibus institutionis, amplectentis spiritalia exercitia pro adulescentibus et catecheticum scholasticumve munus docendi. Cum autem amor sit «diffusivum sui», nec assistentia erga pauperiores iuvenes, potissimum pupillas deficere poterat. Corporis infirmitas Beatae sustinebatur fide heroica et continua oratione. Noctem transigebat in sella unde tabernaculum videre potuit atque e dialogo amabili suo cum Sponso vim traxit non solum ad offerendum se ipsam uti victimam expiationis pro hominum peccatis, sed etiam ut Congregationem suam prudenter sapienterque regeret. Christi amori fidelis, beata Maria Christina vixit in perfecta castitate a iuvenili aetate ut plene et exclusive ad suum Sponsum caelestem pertineret. Divinae Providentiae fisa, paupertatem et oboedientiam exercuit, ita manifestans voluntatem Christum artius sequendi. Docebat novitias: «In mente iugiter habetote, filiae meae, humilitatem esse fundamentum super quod spiritale ponitur aedificium; sanctitas in qualibet anima sine humilitate non potest haberi. Animae humiles constituunt Dei delectamentum». Dives in virtutibus et meritis, sanctitatis fama circumdata die XX mensis Ianuarii anno MCMVI pie in Domino obdormivit.

Ad beatificationem parandam annis MCMXXVII-MCMXL apud Curiam Neapolitanam celebrati sunt Processus Ordinarii de sanctitatis fama, scriptis et non cultu. Die IV mensis Maii anno MCMLXXII prodiit Decretum super Causae introductione ac deinde Processus Apostolicus perfectus est. Die II mensis Iulii anno MCMXCIV sanctus Ioannes Paulus II Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis promulgavit. Praeterea quaedam sanatio mira putata discussa est, quam Commissio medica apud Congregationem de Causis Sanctorum constituta secundum scientiam inexplicabilem declaravit. Consultores Theologi in Congressu die II mensis Octobris anno MMI hanc sanationem intercessioni Mariae Christinae ab Immaculata Conceptione adscripserunt, itemque iudicarunt Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die VI mensis Novembris anno MMI congregati. Proinde die XX mensis Decembris eiusdem anni coram sancto Ioanne Paulo II promulgatum est Decretum super miro, idemque Summus Pontifex die XXVII mensis Aprilis anno MMIII eam Beatam publice declaravit.

Ad canonizationem consequendam die XIV mensis Aprilis anno MMXI Neapoli Inquisitio dioecesana perfecta est de quadam mira sanatione. Consultores Medici Congregationis de Causis Sanctorum illud factum scientifice inexplicabile agnoverunt. Consultores Theologi, in Congressu peculiari die XXIV mensis Iunii anno MMXIV congregati, huiusmodi sanationem intercessioni Beatae tribuerunt, ac Patres Cardinales et Episcopi, adstantes in Sessione Ordinaria die XVI mensis Septembris eodem anno, pariter censuerunt. Insequenti die Nos Ipsi facultatem fecimus Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum super miro ederet, atque, faventibus Patribus Cardinalibus, in Consistorio die XX mensis Octobris anno MMXIV statuimus ut canonizationis ritus die XVII mensis Maii anno MMXV Romae celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatas Ioannam Aemiliam de Villeneuve, Mariam Christinam ab Immaculata Conceptione, Mariam Alfonsinam Danil Ghattas et Mariam a Iesu Crucifixo Baouardy Sanctas esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eas in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo septimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo quinto decimo, Pontificatus Nostri tertio.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*



Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 82.449

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

I

Sedula Mater quibus Dicasterium pro Laicis, Familia et Vita constituitur.

Sedula Mater laicis, familiis vitaeque semper annorum decursu curam et sollicitudinem adhibuit Ecclesia, miserentis Salvatoris demonstrans in homines dilectionem. Nos Ipsi pro Nostro Dominici gregis Pastoris munere haec ob oculos habentes, omnia disponere festinamus, ut commodius latiusque Christi Iesu divitiae in christifideles effundantur.

Quapropter alacriter operam damus ut Curiae Romanae Dicasteria ad nostri temporis condiciones accommodentur ipsaque ad universalis Ecclesiae necessitates aptentur. Nominatim de fidelibus laicis, de familia, de vita cogitamus, quibus subsidia adiumentaque ministrare cupimus, ut operosi nostrae aetatis Evangelii sint testes et ipsius Redemptoris ostendant bonitatem.

Itaque, cunctis perpensis diligenter rebus, Nostra Apostolica potestate *Dicasterium pro Laicis, Familia et Vita* constituimus, peculiaribus statutis moderandum. Munia officiaque quae hucusque ad Pontificium Consilium pro Laicis et Pontificium Consilium pro Familia pertinuerunt, ad hoc Dicasterium proximo die I mensis Septembris, illis Pontificiis Consiliis exstinctis, transferentur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS PP.

STATUTUM NOVI DICASTERII PRO LAICIS, FAMILIA ET VITA

Art. 1

Il Dicastero è competente in quelle materie che sono di pertinenza della Sede Apostolica per la promozione della vita e dell'apostolato dei fedeli laici, per la cura pastorale della famiglia e della sua missione, secondo il disegno di Dio e per la tutela e il sostegno della vita umana.

Art. 2

§ 1. Il Dicastero è presieduto dal Prefetto, coadiuvato da un Segretario, che potrebbe essere laico, e da tre Sotto-Segretari laici, ed è dotato di un congruo numero di Officiali, chierici e laici, scelti, per quanto è possibile, dalle diverse regioni del mondo, secondo le norme vigenti della Curia Romana.
§ 2. Il Dicastero è articolato in tre Sezioni: per i fedeli laici, per la famiglia e per la vita, presiedute ciascuna da un Sotto-Segretario.

Art. 3

§ 1. Il Dicastero ha propri membri, tra cui fedeli laici, uomini e donne, celibi e coniugati, impegnati nei diversi campi di attività e provenienti dalle diverse parti del mondo, così che rispecchino il carattere universale della Chiesa.
§ 2. Dispone di propri Consultori.
§ 3. Il Dicastero segue in tutto le norme stabilite per la Curia Romana.

Art. 4

Promuove e organizza convegni internazionali e altre iniziative sia attinenti all'apostolato dei laici, all'istituzione matrimoniale e alla realtà della famiglia e della vita nell'ambito ecclesiale, sia inerenti le condizioni umane e sociali del laicato, dell'istituto familiare e della vita umana nell'ambito della società.

Sezione per i fedeli laici

Art. 5

Spetta al Dicastero animare e incoraggiare la promozione della vocazione e della missione dei fedeli laici nella Chiesa e nel mondo, come singoli, coniugati o no, e altresì come membri appartenenti ad associazioni, movimenti,

comunità. Esso, inoltre, promuove studi per contribuire all'approfondimento dottrinale delle tematiche e delle questioni riguardanti i fedeli laici.

Art. 6

§ 1. Favorisce nei fedeli laici la coscienza della corresponsabilità, in forza del Battesimo, per la vita e la missione della Chiesa, secondo i diversi carismi ricevuti per l'edificazione comune, con una particolare attenzione alla peculiare missione dei fedeli laici di animare e perfezionare l'ordine delle realtà temporali (cfr *LG*, 31).
§ 2. Nello spirito della costituzione pastorale *Gaudium et spes*, che invita a fare proprie "le gioie e le speranze le tristezze e le angosce degli uomini di oggi", promuove tutte le iniziative che riguardano l'azione evangelizzatrice dei fedeli laici nei vari settori delle realtà temporali, tenendo conto della competenza che, in queste stesse materie, hanno altri organismi della Curia Romana.
§ 3. Promuove anche la partecipazione dei fedeli laici all'istruzione catechetica, alla vita liturgica e sacramentale, all'azione missionaria, alle opere di misericordia, di carità e di promozione umana e sociale. Ne sostiene e incoraggia altresì la presenza attiva e responsabile negli organi consultivi di governo presenti nella Chiesa a livello universale e particolare.
§ 4. Valuta le iniziative delle Conferenze episcopali che chiedono alla Santa Sede, secondo le necessità delle Chiese particolari, l'istituzione di nuovi ministeri e uffici ecclesiastici.

Art. 7

§ 1. Erige le aggregazioni dei fedeli e i movimenti laicali che hanno un carattere internazionale e ne approva o riconosce gli statuti, salva la competenza della Segreteria di Stato; tratta altresì eventuali ricorsi amministrativi relativi alle materie di competenza del Dicastero.
§ 2. Riguardo ai Terzi Ordini secolari e alle associazioni di vita consacrata, cura soltanto ciò che si riferisce alla loro attività apostolica.

Sezione per la Famiglia

Art. 8

§ 1. Alla luce del magistero pontificio, promuove la cura pastorale della famiglia, ne tutela la dignità e il bene basati sul sacramento del matrimonio,

ne favorisce i diritti e la responsabilità nella Chiesa e nella società civile, affinché l'istituzione familiare possa sempre meglio assolvere le proprie funzioni sia nell'ambito ecclesiale che in quello sociale.
§ 2. Discerne i segni dei tempi per valorizzare le opportunità, in favore della famiglia far fronte con fiducia e sapienza evangelica alle sfide che la riguardano e applicare nell'oggi della società e della storia il disegno di Dio sul matrimonio e la famiglia.
§ 3. Segue l'attività degli istituti, delle associazioni, dei movimenti e delle organizzazioni cattoliche, nazionali e internazionali, il cui fine è servire il bene della famiglia.

Art. 9

§ 1. Cura l'approfondimento della dottrina sulla famiglia e la sua divulgazione mediante un'adeguata catechesi; favorisce in particolare gli studi sulla spiritualità del matrimonio e della famiglia e il loro risvolto formativo.
§ 2. Offre linee direttive per programmi formativi per i fidanzati che si preparano al matrimonio e per le giovani coppie.
§ 3. Offre linee direttive anche per programmi pastorali che sostengano le famiglie nella formazione dei giovani alla fede e alla vita ecclesiale e civile, attenti specialmente ai poveri e agli emarginati.
§ 4. Favorisce l'apertura delle famiglie all'adozione e all'affidamento dei bambini e alla cura degli anziani, rendendosi presente presso le istituzioni civili perché sostengano tali pratiche.

Art. 10

Ha un diretto legame con il "Pontificio Istituto Giovanni Paolo II per studi su Matrimonio e Famiglia", sia con la sede centrale che con gli istituti affiliati, per promuovere un comune indirizzo negli studi su matrimonio, famiglia e vita.

Sezione per la Vita

Art. 11

§ 1. Sostiene e coordina iniziative in favore della procreazione responsabile, come pure per la tutela della vita umana dal suo concepimento fino al suo termine naturale, tenendo presenti i bisogni della persona nelle diverse fasi evolutive.

§ 2. Promuove e incoraggia le organizzazioni e associazioni che aiutano la donna e la famiglia ad accogliere e custodire il dono della vita, specialmente nel caso di gravidanze difficili, e a prevenire il ricorso all'aborto. Sostiene altresì programmi e iniziative volti ad aiutare le donne che avessero abortito.

Art. 12

Sulla base della dottrina morale cattolica e del Magistero della Chiesa studia e promuove la formazione circa i principali problemi di biomedicina e di diritto relativi alla vita umana e circa le ideologie che vanno sviluppandosi inerenti la stessa vita umana e la realtà del genere umano.

Art. 13

La Pontificia Accademia per la Vita è connessa con questo Dicastero, il quale in merito alle problematiche e tematiche di cui all'art. 11 si avvale della sua competenza.

Il presente Statuto è approvato *ad experimentum*. Ordino che esso sia promulgato tramite pubblicazione su *L'Osservatore Romano* e quindi pubblicato anche sugli *Acta Apostolicae Sedis*, entrando in vigore il 1° settembre 2016. A partire da tale data cesseranno dalle proprie funzioni il Pontificio Consiglio per i Laici e il Pontificio Consiglio per la Famiglia, i quali verranno soppressi essendo parimenti abrogati gli articoli 131-134 e 139-141 della Cost. ap. *Pastor Bonus*.

Dato a Roma, 4 giugno 2016.

FRANCESCO

II

Humanam Progressionem **quibus Dicasterium ad integram humanam progressionem fovendam constituitur.**

Humanam progressionem integram in Evangelii luce foveat oportet Ecclesia tota sua natura suaque navitate. Eiusmodi quidem progressio per sollicitudinem de inaestimabilibus bonis iustitiae, pacis et tutelae rerum creatarum peragitur. Apostoli Petri Successor Sua in opera ad eiusmodi bona promovenda continenter instituta accommodat quae cum Ipso consociatam operam prosequuntur quo aptiore modo postulationibus virorum mulierumque respondere possint quibus servire vocantur.

Quapropter ut cura Sanctae Sedis his in provinciis efficiatur, sicut etiam in illis quae ad valetudinem respiciunt et caritatis opera, *Dicasterium ad Integram Humanam Progressionem fovendam* constituimus. Ad eiusmodi Dicasterii munera peculiari modo pertinebunt quaestiones respicientes ad migrationes, egentes, aegrotantes, repulsos et a societate segregatos, contentionum armatorum et calamitatum naturalium victimas, carcere clausos, opere carentes atque cuiuslibet formae servitutis et cruciatus victimas.

Novum in Dicasterium, Statuto rectum quod hoc ipso die *ad experimentum* approbamus, confluent, a die I mensis Ianuarii anno MMXVII, munia horum in praesens Pontificiorum Consiliorum: Pontificii Consilii de Iustitia et Pace, Pontificii Consilii «Cor Unum», Pontificii Consilii de Spirituali Migrantium atque Itinerantium Cura atque Pontificii Consilii pro Valetudinis Administris. Memorato die haec quattuor Dicasteria suis ab officiis cessabunt atque exstinguentur, abrogatis articulis 142-153 Constitutionis apostolicae *Pastor Bonus*.

Quaecumque vero hisce Litteris Apostolicis Motu Proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam mentione dignis, atque decernimus ut per editionem in actis diurnis *L'Osservatore Romano* et deinde in *Actis Apostolicae Sedis* promulgentur et vim suam exserant a die I mensis Ianuarii anno MMXVII.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVII mensis Augusti, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS PP.

STATUTUM NOVI DICASTERII AD INTEGRAM HUMANAM PROGRESSIONEM FOVENDAM

Articolo 1

Nome

§ 1. Il Dicastero per il Servizio dello Sviluppo Umano Integrale assume la sollecitudine della Santa Sede per quanto riguarda la giustizia e la pace, incluse le questioni relative alle migrazioni, la salute, le opere di carità e la cura del creato.
§ 2. Il Dicastero promuove lo sviluppo umano integrale alla luce del Vangelo e nel solco della dottrina sociale della Chiesa. A tal fine, esso intrattiene relazioni con le Conferenze Episcopali, offrendo la sua collaborazione affinché siano promossi i valori concernenti la giustizia, la pace, nonché la cura del creato.
§ 3. Il Dicastero esprime pure la sollecitudine del Sommo Pontefice verso l'umanità sofferente, tra cui i bisognosi, i malati e gli esclusi, e segue con la dovuta attenzione le questioni attinenti alle necessità di quanti sono costretti ad abbandonare la propria patria o ne sono privi, gli emarginati, le vittime dei conflitti armati e delle catastrofi naturali, i carcerati, i disoccupati e le vittime delle forme contemporanee di schiavitù e di tortura e le altre persone la cui dignità è a rischio.
§ 4. Una Sezione del Dicastero si occupa specificamente di quanto concerne i profughi e migranti. Questa sezione è posta *ad tempus* sotto la guida del Sommo Pontefice che la esercita nei modi che ritiene opportuni.

Articolo 2

Struttura

§ 1. Il Dicastero è presieduto da un Prefetto, coadiuvato da un Segretario e almeno un Sotto-Segretario, che possono anche essere fedeli laici.
§ 2. Il Dicastero ha propri Membri, fra cui fedeli laici impegnati nei diversi ambiti di competenza del Dicastero e provenienti dalle diverse parti del mondo, così che rispecchino il carattere universale della Chiesa.
§ 3. Dispone di propri Consultori e Officiali, anch'essi dalle diverse parti del mondo.
§ 4. Il Dicastero segue in tutto le norme stabilite per la Curia Romana.

Articolo 3

Compito, missione, attività

§ 1. Il Dicastero approfondisce la dottrina sociale della Chiesa e si adopera affinché essa sia largamente diffusa e tradotta in pratica e i rapporti sociali, economici e politici siano sempre più permeati dallo spirito del Vangelo.
§ 2. Raccoglie notizie e risultati di indagini circa la giustizia e la pace, il progresso dei popoli, la promozione e la tutela della dignità e dei diritti umani, specialmente, ad esempio, quelli attinenti il lavoro, incluso quello minorile, il fenomeno delle migrazioni e lo sfruttamento dei migranti, il commercio di vite umane, la riduzione in schiavitù, la carcerazione, la tortura e la pena di morte, il disarmo o la questione degli armamenti nonché i conflitti armati e le loro conseguenze sulla popolazione civile e sull'ambiente naturale (*diritto umanitario*). Valuta questi dati e rende partecipi gli organismi episcopali delle conclusioni che ne trae, perché essi, secondo opportunità, intervengano direttamente.
§ 3. Il Dicastero si adopera perché nelle Chiese locali sia offerta un'efficace e appropriata assistenza materiale e spirituale – se necessario anche mediante opportune strutture pastorali – agli ammalati, ai profughi, agli esuli, ai migranti, agli apolidi, ai circensi, ai nomadi e agli itineranti.
§ 4. Il Dicastero favorisce e coordina le iniziative delle istituzioni cattoliche che s'impegnano per il rispetto della dignità di ogni persona e l'affermazione dei valori della giustizia e della pace e nell'aiuto ai popoli che sono nell'indigenza, specialmente quelle che prestano soccorso alle loro più urgenti necessità e calamità.
§ 5. Nell'adempimento della sua missione, il Dicastero può intrattenere relazioni con associazioni, istituti e organizzazioni non governative, anche al di fuori della Chiesa cattolica, impegnate nella promozione della giustizia e della pace. Esso può altresì entrare in dialogo con rappresentanti dei Governi civili e di altri soggetti di diritto internazionale pubblico, ai fini di studio, approfondimento e sensibilizzazione sulle materie di sua competenza e nel rispetto delle competenze degli altri organismi della Curia Romana.
§ 6. Il Dicastero s'impegna affinché cresca tra i popoli la sensibilità per la pace, l'impegno per la giustizia e la solidarietà verso le persone più vulnerabili, come i migranti e profughi, specialmente in occasione della *Giornata Mondiale della Pace*, la *Giornata Mondiale delle Migrazioni* e la *Giornata Mondiale del Malato*.

Articolo 4

Rapporto con membri della Curia e con Organismi connessi

§ 1. Il Dicastero agisce in stretta collaborazione con la Segreteria di Stato, nel rispetto delle rispettive competenze. La Segreteria di Stato ha competenza esclusiva sulle materie afferenti alle relazioni con gli Stati e con gli altri soggetti di diritto pubblico internazionale.
§ 2. Il Dicastero mantiene stretti rapporti con la Segreteria di Stato specialmente quando si esprime pubblicamente, mediante documenti o dichiarazioni su questioni afferenti alle relazioni coi Governi civili e con gli altri soggetti di diritto internazionale pubblico.
§ 3. Il Dicastero collabora con la Segreteria di Stato anche partecipando alle delegazioni della Santa Sede in incontri intergovernativi nelle materie di propria competenza.
§ 4. Il Dicastero mantiene uno stretto rapporto con la Pontificia Accademia delle Scienze Sociali, tenendo conto dei suoi Statuti.
§ 5. Sono costituite presso il Dicastero la *Commissione per la Carità*, la *Commissione per l'ecologia* e la *Commissione per gli operatori sanitari*, le quali operano secondo le loro norme. Esse sono presiedute dal Prefetto del medesimo Dicastero e da lui convocate ogni qualvolta è ritenuto opportuno, o necessario.
§ 6. Il Dicastero è competente nei confronti della *Caritas Internationalis* secondo i suoi Statuti.

Articolo 5

Altri Organismi

Il Dicastero assume anche le competenze della Santa Sede circa l'erezione e la vigilanza di associazioni internazionali di carità e dei fondi istituiti agli stessi fini, secondo quanto stabilito nei rispettivi Statuti e nel contesto generale della legislazione vigente.
Il presente Statuto viene approvato *ad experimentum*. Ordino che sia promulgato tramite pubblicazione su *L'Osservatore Romano* e quindi pubblicato sugli *Acta Apostolicae Sedis*, entrando in vigore il 1° gennaio 2017. A partire da tale data cesseranno dalle proprie funzioni e sono da considerarsi soppressi il *Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace, il Pontificio Consiglio "Cor Unum"*, il *Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti*

e gli Itineranti e il *Pontificio Consiglio della Pastorale per gli Operatori Sanitari*, essendo parimenti abrogati gli articoli 142-153 della Costituzione apostolica *Pastor Bonus*.

Dato a Roma, presso San Pietro, il 17 agosto 2016.

FRANCESCO

CONSTITUTIO APOSTOLICA

VOTUPORANGENSIS

In Brasilia, dismembratis quibusdam territoriis ecclesialium communitatum Sancti Josephi Riopretensis et Ialespolitanae, Dioecesis Votuporangensis conditur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Brasiliensium fidelium spiritale iter diligenter dum sequimur, studiose petitionem consideramus Venerabilium Fratrum Thomae Ferreira da Silva, Episcopi Sancti Josephi Riopretensis, et Aloisii Demetrii Valentini, tunc Episcopi Ialespolitani, qui, audita Conferentia Episcoporum Brasiliensi, ab Apostolica Sede enixe postulaverunt ut, ecclesiasticarum circumscriptionum iisdem concreditarum dismembratis territoriis, nova exinde erigeretur dioecesis. Nosmet Ipsi, favorabili praehabito voto Venerabilis Fratris Ioannis d'Aniello, Archiepiscopi titulo Paestani et in Brasilia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque excipiendas decrevimus. Quapropter, de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, a dioecesi Sancti Josephi Riopretensi distrahimus territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum vulgo nuncupatorum: Álvares Florence, Américo de Campos, Buritama, Cosmorama, Floreal, Gastão Vidigal, Lourdes, Macaubal, Magda, Monções, Nhandeara, Nova Luzitânia, Parisi, Paulo de Faria, Planalto, Pontes Gestal, Riolândia, Sebastianópolis do Sul, Tanabi, Turiúba, União Paulista, Valentim Gentil, Votuporanga, Zacarias; et a dioecesi Ialespolitana seiungimus territorium municipii vulgo nuncupati Cardoso, atque ex ita distractis territoriis novam dioecesim, Votuporangensem appellandam, erigimus ac constituimus. Huius novae dioecesis sedem in urbe vulgo Votuporanga statuimus templumque paroeciale ibi exstans, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis «de Aparecida» dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, mandantes ut ibidem Canonicorum Capitulum ad normam iuris instituatur. Novam insuper dioecesim Votuporangensem Metropolitanae Ecclesiae Rivi Nigri suffraganeam decernimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi «pro tempore» eiusdem

Ecclesiae Metropolitanae subicimus. Congruae sustentationi Praesulis conditae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione ei obveniente ex divisione, ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda, honorum quae hactenus Mensis (vulgo «Mitra») episcopalibus Sancti Josephi Riopretensi et Ialespolitanae pertinuerunt. Simul ac Votuporangensis dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes dioecesi illi adscripti censeantur, in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium. Cetera vero secundum ecclesiasticas leges temperentur.

Ad haec omnia perficienda praefatum Apostolicum Nuntium deputamus vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegando ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutìonis remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo mensis Iulii, anno Domini bismillesimo sexto decimo, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

Petrus Card. Parolin
Secretarius Status

Franciscus Di Felice, *Protonot. Ap.*
Francus Piva *Protonot. Ap.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 312.482

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Antonio Durcovici Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS P.P.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Beatus populus, cui Dominus est Deus» (*Ps* 144, 15).

Servus Dei Antonius Durcovici, Episcopus Iasensis, in Dacoromania, assiduus fuit Pastor, eucharisticae adorationis apostolus, ardens cultor Immaculati Cordis Beatae Virginis Mariae atque communionis cum Petri Sede heroicus testis tempore totalitaris regiminis. Vir mitis, doctus, pacificus, fide plenus, misericors erga omnes, gregem Domini defendit tota sua vita usque ad martyrium.

Ipse natus est die XVII mensis Maii anno MDCCCLXXXVIII in loco *Bad Deutsch-Altenburg*, in Austria, et paucos post dies ad baptismalem fontem est allatus. Patris eius praematura mors totam familiam Durcovici extremae indigentiae exposuit. Iuvenis vidua Maria duobus cum filiis se in Dacoromaniam transtulit, primum Iassium ac post Bucarestium. Illic Antonius scholam frequentavit apud Institutum Fratrum a Scholis Christianis. Cum vocationem ad sacerdotium sentiret atque in Seminarium Minus Bucarestiense anno MCMI acceptus esset, adhuc admodum iuvenis exercuit vitam orationis, voluntatis Dei auditionis atque oboeditionis sine conditionibus sub moderamine patris spiritualis. Post maturitatem Romam missus est, ubi laureas in philosophia ac theologia consecutus est. Anno MCMX presbyter ordinatus, unum per annum praefectus fuit in collegio Propagandae Fidei.

Anno MCMXI Bucarestium reversus est atque administrator paroeciae et religionis professor nominatus est. Tempore primi belli mundialis propter originem suam Austriacam duos per annos retentus est in quodam campo. Concluso bello, annis MCMXVIII-MCMXXII denuo docuit ministeriumque exercuit paroeciale. Ab anno MCMXXVII unum et viginti per annos varia gessit officia: parochi, canonici ecclesiae cathedralis, rectoris Seminarii Bucarestiensis, docentis philosophiae, linguae Latinae, iuris canonici et theologiae moralis. Ad sacerdotalem fraternitatem fovendam Unionem Apostolicam Cleri instituit.

Apostolico studio etiam extra ecclesiasticum ambitum excelluit, erga intellectus cultores omnesque laicos, pro quibus duas ephemerides instituit ad christianam et philosophicam thomisticam doctrinam altius cognoscendam.

Mense Octobri anno MCMXLVIL, LIX annos natus, Episcopus Iasensis est nominatus, videlicet urbis suae pueritiae. Statim post inceptum est tempus eius martyrii. Propter oppositionem imperantis communistarum regiminis quod contrarium fuit omni formae religionis, potissimum catholicis, episcopalem consecrationem potuit tantum mense Aprili anni MCMXLVIII suscipere.

In difficilioribus rerum adiunctis Episcopus Iasensis coepit paroecias dioecesis suae invisere, constanter fideles adhortans ut in fide perseverarent. Interdum secreti publici custodes perattente invigilabant ei, argumenta adversus eum colligentes ut haberent de quo ipsum accusarent atque apprehenderent. Inter fideles celebrationes religiosas participantes iugiter regiminis exploratores inveniebantur qui e sacristia etiam epistulam furati sunt «De consecratione dioecesis Immaculato Cordi Mariae».

Venerabilis Servus Dei accusatus est contra ordinem et Civitatis securitatem incitavisse populumque adhortatum fuisse ne vitam politicam communistarum in Dacoromania participarent. Ipse autem pastorale exercens ministerium, prudentiam semper ostendit et aequo animo presbyteros fidelesque conduxit, inutiles communistarum auctoritatum vitans provocationes. Attamen die XXVI mensis Iunii anno MCMXLIX, dum ad paroeciam quandam prope Bucarestium iter faciebat Confirmationis sacramenti administrandi causa, apprehensus est. Coepta est ita pro eo diuturna detentionis tribulatio, primum apud sedem Ministerii Internorum, deinde in carcere loci Jilava, ubi probabiliter usque ad autumnum anni MCMLI mansit Hoc tempore iugiter premebatur ut quasdam fictas culpas admitteret, ob quarum accusationem est comprehensus, atque Dacoromanam Ecclesiam sustineret ab Ecclesia Romana seiunctam et cum communistarum regimine operam praestantem.

Ipse viam crucis prosecutus est in carcere loci Sighetu Marmatiei, ubi die X mensis Septembris anno MCMLI est translatus ubique alii episcopi et presbyteri erant retenti. Tantum tres menses reclusionem ibi pertulit ac die X mensis Decembris eodem anno obiit. Secundum quasdam testificationes in cella segregatus est, aegrotans, sine medicis curis atque angustiis absumptus. Ascendit tamquam Dominus Iesus Calvarium ut illic crucifigeretur, ac deinde ut a Resuscitato in caelestis Ierusalem gaudio acciperetur.

Episcopi Antonii Durcovici martyrii fama adduxit eius dioecesim Iasensem ad canonicam Inquisitionem peragendam annis MCMXCVII-MCMXCIX, cuius iuridicam validitatem Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per Decretum die XXIX mensis Octobris anno MMX. Consultores Theologi congregati die XXVIII mensis Februarii anno MMXIII faventem de martyrio tulerunt sententiam. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die XV mensis Octobris eodem anno, heroicam mortem Venerabilis Servi Dei verum arbitrati sunt martyrium. Demum Nos Ipsi die XXXI eiusdem mensis facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret, ac deinde statuimus ut sollemnis ritus beatificationis die XVII mensis Maii anni MMXIV celebraretur.

Hodie igitur in urbe Iasensi de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Antonium Durcovici in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Petri Gherghel, Episcopi Iasensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Antonius Durcovici, Episcopus Iasensis et martyr, assiduus pastor, eucharisticae adorationis apostolus atque communionis cum Petri Sede heroicus testis, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die decima mensis Decembris, qua in caelum ortus est, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Maii, anno MMXIV, Pontificatus Nostri secundo.

De mandato Summi Pontificis

PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 21.402

II

Servae Dei Vlctorlae a Iesu (in saeculo Franciscae Agneti Mariae ab Antiqua Valverde Gonzàlez) Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Quamdiu manet hic una saltem ex filiabus meis, eam non relinquam, quamvis morte mihi constet».

Sic respondit Serva Dei Victoria a Iesu (in saeculo Francisca Agnes Maria ab Antiqua Valverde González) ad omnes qui ei praebuerunt occasionem fugiendi in urbem *Martos* primis mensibus persecutionis religiosae in Hispania. Sic monstravit fidem in Christo, qui vocaverat eam ad plenam consecrationem per professionem religiosam, ut puellas educaret et sorores religiosas curaret. Eadem fide suffulta, martyrium deinde est amplexa ut, pretio suae vitae, communitatem religiosam cui praesidebat protegeret.

Serva Dei orta est die XX mensis Aprilis anno MDCCCLXXXVIII in *Vicálvaro* prope Matritum ab egenis parentibus, qui operibus ad diem fungebantur ut familiam sustinerent. Aliquot annos adulescentiae egit Compluti prope Matritum apud orphanotropheum quod a Filiabus Caritatis administrabatur. Hac tempestate solidam formationem christianam illa recepit et, cupiens Domino se totam consecrare, Congregationis Filiarum a Divino Pastore novitiatum inivit.

Vota temporaria professa est apud Domum *Madre di Sanlúcar de Barrameda* prope Gades. Anno MCMXII destinata est Communitati *Monóvar* prope Lucentum, et deinde transivit ad *Monforte de Lemos* prope Lucum Augusti, ubi vota perpetua nuncupavit. Deinde translata est ad Domum oppidi *Martos* prope Giennum, cuius communitatis postea facta est Moderatrix. Ab anno MCMXXIV ad annum MCMXXXI Moderatrix fuit communitatis in urbe *Sanlúcar de Barrameda,* ac deinde communitatis in urbe *Martos.*

Interea seditio militaris in Hispania oriri coeperat, quae totam nationem adduxit ad bellum civile inter annos MCMXXXVI et MCMXXXIX. Itaque provincia Giennensis vexationi politicae et persecutioni religiosae vehementer est subiecta, ita ut multae personae caederentur necnon monasteria, coenobia et templa atque societates catholicae destruerentur. Quocirca Serva Dei curavit ut suae sorores ad variarum familiarum refugium se conferrent.

Tandem ea ipsa, simul cum duabus sororibus, coacta est relinquere collegium quod in urbe *Martos* Congregatio administrabat et apud privatam domum refugium quaesivit. Ipsa sola deinde, coram auctoritatibus republicanis, assumpsit periculosum officium vices gerentis omnium sororum ut ex urbe effugere valerent. Etsi conscia de instantibus periculis, Serva Dei usque ad extremum adhortata est sorores ut Deo eiusque providentiae confiderent. Die vero XII mensis Ianuarii anno MCMXXXVII, milites eam, simul cum Moderatrice Sororum Instituti Trinitatis et cum Abbatissa Clarissarum, deprehenderunt, quas postea in carcerem coniecerunt. Licet detentae et abusus obeundos timentes, hae religiosae numquam tamen desperaverunt, sed continuo orabant et invicem se sustentabant, hortantes ad invicem pro Christo mori. Ea ipsa nocte, simul cum quinquaginta fere viris, inter quos sacerdotes quoque numerabantur, illae deductae sunt ad coemeterium prope *Las Casillas*. Hic prima luce diei XIII mensis Ianuarii, necem omnium ceterorum conspiciens, Dei Serva, parata ad supremum sacrificium, atrociter tractata est ac tandem immaniter sclopeto interfecta. Cadavera sunt ibi relicta usque ad diem sequentem; cum autem populus perhorresceret tam foedum spectaculum, auctoritates urbis *Martos* statuerunt ut ea cadavera in communi fossa sepelirentur in eodem coemeterio, ubi usque ad belli civilis finem permanserunt.

Mors Servae Dei illico a populo habita est tamquam martyrium propter fidem signatum. Quam ob rem Inquisitio dioecesana peracta est apud Curiam Giennensem annis MCMXCVI et MCMXCVII. Patres Cardinales et Episcopi, qui die VIII mensis Maii anno MMXII ad Ordinariam Sessionem convenerant, professi sunt Servam Dei necatam esse propter fidelitatem erga Christum eiusque Ecclesiam. Praedecessor Noster Benedictus XVI mandavit ut decretum super Servae Dei martyrio a Congregatione de Causis Sanctorum rite conscriberetur; quod est promulgatum die XXVIII mensis Iunii anno MMXII. Nos inde statuimus ut ritus beatificationis Servae Dei, simul cum DXXI martyribus vicesimo saeculo in Hispania interfectis, die XIII mensis Octobris anno MMXIII in urbe Tarraconensi Hispaniae celebraretur.

Hodie igitur, Tarracone in Hispania, de mandato Nostro, Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Servam Dei Victoriam a Iesu Congregatione Filiarum a Divino Pastore in Beatorum numerum adscribimus:

Serva Dei die 11 mensis Ianuarii anno 1870 in pago v. d. *Pancalieri* non longe ab Augusta Taurinorum postrema ex octo filiorum nata est, agricolarum in familia, baptismate abluta nomen ei fuit Mariae Carolae. Iam a pueritia crebuit ostendens vehementem amorem orationis et pauperum, quibus secundum suam tenuitatem subsidium ferebat: «Voluissem divitis esse ut multos pauperes adiumento iuvarem», sicut postea dixit. Expleto ludo litterario, Carola abilis sarcinatrix evasit. Decimum secundum annum aetatis exagens adfuit adventui novi parochi domini Ioannis Mariae Boccardo (qui hodie in numero beatorum est), qui eius in vita fuit maximi momenti.

Aestate anni 1884 regio cholerae contagione percussa est. Angustiis et interitis, qui pagum *Pancalieri* vexaverunt, dominus Boccardo senibus derelictis hospitium caritatis fundavit, hac in opera consociavit iuvenum mulierum coetum, quae dicebantur *«Pia Unio»* easque direxit ad Dei et apostolatus amorem: inter istas mulieres adfuit et iuvenis Carola decimum quintum annum aetatis agens. Sanctus ille parochus, religionem pietatemque eius moderator, percepit iuvenis gratiae divitiam et hac re rationem vitae indicavit qua unio cum Deo et caritas erga pauperes maxime consentaneae evaderent cum regimine eius familiae. Anno 1886 Carola comitata est duas iuvenes quae in hospitio operam suam navabant toto die, talia ergo fuerunt primordia primi coetus Sororum «Pauperum Filiarum Sancti Caietani», ubi Carola nomen suscepit Sororis Caietanae a SS.mo Sacramento, exercens officium magistrae novitiarum.

Anno 1893 cum duae sorores Salutias proficiscerentur parochus eam Antistitam hospitii nominavit et paulo post Antistitam Generalem Congregationis. Usque ad annum 1928 iterum electa et confirmata est Antistita, sub eius ductu novum institutum diffunditur Pedemontium et Picenum. Serva Dei varias domus visitavit, prudentia disponens unicuique functionem. Anno 1911 canonicus Ioannes Boccardo membrorum parte captus est et in lecto usque ad mortem teneretur. Eius in vice, fundatoris voluntate, successit frater dominus Aloisius et ipse hodie in beatorum numero, qui Congregationem ornavit praesentia sororum caecarum, quae nuncupatae sunt «Filiae Iesu Regis» et quae vitam suam ad contemplationem consecraverunt. Expleto munere Antistitae Generalis Serva Dei etsi laborans perrexit consilio comitari et materna vigilantia curare suas filias.

Nomen eius rationem vitae explicabat: enim dictitabat «ad pedes pauperum procumbere sicut ante SS. Sacramenrum». Unquam verita est pro pauperibus auxilia flagitare. Elegantia et generoso spiritu, divino adflatu, pauperes ministrabat, pedes eorum abluebat, renovans Iesu humilem ministerium. Quem adivit materna cura statim commodo suo recipiebatur. Oratio et cotidiana Missa et Communio una cum devotione erga Virginem Mariam eius ministerium fulserunt. Eius caritas a multis dicebatur *mysticae mulieris effrenata caritas*. Fortis ac serena tam in bona valetudine quam in aegra laetitiam semper diffundebat, quae oriebatur e ferventi interiori vita et ab animo firmo et sincero. Dictitabat: «Mundi in semitas imus una cum illa serenitate ac laetitia, quae fraternum amorem promovent! Ubicumque est pauper, aegrotus assidendus, puer instituendus, ibi nobis vera patria est». Servae Dei non desuerunt impedimenta et acerbitates, umquam tamen destitit, vel potius in difficultate novam convertit occasionem ad Domini voluntatem obsequendam, secundum propositum scilicet «Toto corde agere malo quod toto corde nolo».

Mense Martio anno 1935 prima signa morbi scilicet ilei manifestata sunt. Magna fide, animosa fortitudine ac sereno animo se commisit ad Domini voluntatem. Die 25 mensis Martii anno 1935 Serva Dei in pago *Pancalieri* mortali e vita migravit. Hac nova vita caelesti, magna fuit comploratio populi et saepe sic audiebatur: «Mortua est Mater sancta *Pancalieri*! Mater, quae solem adducebat!». Immanis fuit in exequiis cum cuncursu populi, fama sanctitatis, quae sequentibus annis crevit.

Istius famae virtute, a die 23 mensis Iulii anno 1996 ad diem 22 mensis Novembris anno 2000, iuxta Curiam Taurinensem celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatane de Causis Sanctorum per Decretum diei 6 mensis Iulii anno 2001 est approbata. Exarata *Positione* disceptatum est secundum consuetas normas an Serva Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 17 mensis Ianuarii anno 2013, habitus est Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum. Deinde Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione congregati die 17 mensis Iunii anno 2014, me Card. Angelo Amato praesidente, agnoverunt Servam Dei virtutes theologales cardinales et adnexas heroicum in modum excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodiemo die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico Caietanae a SS.mo Sacramento (in saec.: Mariae Carolae Fontana), Primae Antistitae Generalis Congregationis Pauperum Filiarum S. Caietani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iulii a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VERONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Helenae da Persico Fundatricis Instituti Saecularis «Filiarum Reginae Apostolorum» († 1869-1948)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Vitam meam, mi Iesu, expedire in mundo sicut ante Tabernaculum necesse est».

Haec nota e commentario diurno diei 10 mensis Martii anno 1906 excerpta est et Servae Dei Helenae da Persico omnem vitae rationem vere explicat, quae autem ferventem cum Domino communionem agere semper voluit, saeculo suo concrete operans, omnibus in ambitibus vitae, aevi signa interpretans et fidem cum necessitatibus sui temporis conciliando.

Serva Dei Veronae die 17 mensis Iulii anno 1869, rerum tenui in familia propter gravem oeconomicam ruinam, fide tamen ac virtute uberrima, nata est. Etiam ab hac dolorosa educationis vicissitudine illa valida incitamenta feliciter percepit ut sua pietas valde augeretur et ad pauperes et homines viliores operam humaniter praestaret. Die 19 mensis Iulii anno 1869 in paroecia Sanctissimae Trinitatis baptizata est.

Ludo litterario expleto, studia persecuta est et diploma magistrae una cum iure docendi linguam Gallicam adepta est. Incepit ergo officium suum litterarium narrationis opera scribens et cum nonnullis editoribus munere interfuit.

Mulierum causam valde sustinuit, omni vi, multis in civitatis ambitibus, ut dignitas earum et iurium illarum vindicatio, etiam per aptam institutionem, foveretur. Hac re, interfuit opera sua claris commentariis qui nuncupabantur *Vittoria Colonna* et *Azione Muliebre*, qui primus christianus pro mulieribus commentarius fuit, quem autem Serva Dei ab anno 1904 usque ad mortem rexit. Huius commentarii in paginis illius temporis facta iudicio semper explanavit, sollicite agens ut de familia et de societate clare et honeste investigaretur. Anno 1906 Pontifex Pius X privato colloquio eam admisit et ab ea multas mulierum difficultates cognovit. Instituit operas ad iura civium tuenda et operariorum consortia, instituta maximi momenti in temporibus illis quia de sociali providentia fere nulla consilia publica fuerunt. Diligentissimas relationes de mulierum quaestionibus multis

in oppidis Italiae curavit, interfuit institutioni multarum operarum sicut: *Opera Magistrarum Ruralium* vel *Societates Foeminarum ad Institutionem Fovendam* et *Societates Mulierum Colonarum* quibus semper propinquitatem et praesidium praestavit, quia certe putabat «idearum apostolatum maximi momenti esse ut actio e consilio efficeretur».

Sine mora, Serva Dei operarias mulieres sustinuit, quae pro dignitate sua et pro feriis ius suum repetebant; subvenit iuvenibus ab omnibus derelictis ne praedae malevolis facile fierent, hac re sustinuit operam dictam *Praesidium Iuvenis Mulieris*, cui praefuit tam Italiae quam externis in nationibus institutionemque fovit dictam *Societatem Matrum et Belli Viduarum*.

Anno 1910, se ad spiritualia exercitia incumbens, orando intellexit et statuit ut a se fundaretur id quod erit Institutum *Filiarum Reginae Apostolorum*. Nomen autem electum est ut significaretur permanendi voluntas in oratione cum Maria et Apostolis in Coenaculo fratribusque deinde inserviendo et evangelium ad gentes evulgando, secundum exemplum Boni Pastoris, nobilis imago ad incitamentum Filiarum Reginae Apostolorum. Proprium istius instituti fuit recipere omnes mulieres et mares, sine doctrinae, religionis et gentis distinctione, quia omnis homo «filius est eiusdem Patris».

Dolores et contumeliae in vita Servae Dei non defuerunt. Illa magna serenitate animi et summa contemptione munus suum egit, desiderando tantum quod «omne hocaustum ante Iesu oculos consumeretur», sustinuit suavitate et iucunditate omnia, quae in apostolico munere eam cruciabant, omnem aegritudinem et difficultatem superans. Vehemens et constans Servae Dei fuit virtutum exercitium, pura eius fides, quae assidua oratione alebatur. Spes eius aedificans fuit et simplicitate et fortitudine sua indicabatur. Caritas generose constituta ad Dei gloriam et ad fratrum auxilium, haec omnes virtutes eius cotidianis actionibus consentaneae videbantur. Paupertatem ut gemmam intellexit, quae ad Iesu paupertatem se magis propinquabat. Oboedientiae spiritu, intelligere et secundare Dei voluntatem semper conata est, negligendo libertatem, summo a rebus discesso ac suis commodis contemptis se animadvertit esse instrumentum in Providentiae manibus «ad Iesu cordis utilitatem et animarum salutem». Hunc spiritualem cultum Verbi meditatione et cotidiana Eucharistiae participatione aluit.

Post fundationem Instituti, quod Italiae primum fuit mulierum, assiduae fuerunt eius curae in spirituales filias, quas ut viverent in mundo secundum laicorum christianorum morem exhortabatur, percipientes signa temporis

et necessitates veterum et novorum fratrum. Sensus concretae actionis, quod christianorum in saeculo munus proprium videtur, in vita Helenae da Persico etiam in politica sollertia inveniebatur. Serva Dei provincialis consiliaria Veronensis Democratiae Christianae et curatrix rei municipalis pagi v. d. *Affi* electa est.

Serva Dei, industriae et sedulitatis longa vita probata, die 28 mensis Iunii anno 1948 in Domino pie sopivit. Inscriptio in paroecia oppidi *Affi*, quae mortalium eius exuviarum thecam signat, sic dicit « Helenae da Persico Christi operariae ».

Fama sanctitatis a die 28 mensis Iunii anno 1963 ad diem 1 mensis Februarii anno 1969 iuxta Curiam Veronensem Processus Ordinarius Informativus celebratus est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione per Decretum diei 8 mensis Novembris anno 1996 est approbata. Exarata *Positione*, secundum canonicas normas, disceptatum est an Serva Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Die 18 mensis Septembris anno 2013, positivo cum exitu, Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 1 mensis Iulii anno 2014 se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente, et agnoverunt Servam Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales et adnexas excoluisse. Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Helenae da Persico, Fundatricis Instituti Saecularis Filiarum Reginae Apostolorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iulii a.D. 2014.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CLODIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Raimundi Calcagno Sacerdotis e Congregatione Oratorii Sancti Philippi Neri († 1888-1964)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Principium meum Deus, Deus finis meus, merces mea Deus».

Verba haec, quae Servus Dei Raimundus Calcagno repetere solebat, valde divina fisus providentia, vitam eius sacerdotalem eiusque apostolatum collustrarunt atque singula segmenta signarunt alacris illius itineris, per quod eius spiritus enixe progressus est ad sanctitatem parandam. Clodiae, in civitate Venetae Lagunae austrina, Servus Dei natus est die 17 mensis Aprilis anno 1888 humili piscatorum genere. In familiae complexu, fide principiisque christianis fulto, primo informatus est atque inde a puero illam ad animos excolendos proclivitatem patefecit, quae totam eius existentiam signavit: etenim iam a puerilis institutionis annis pueros circa se commorantes in domum suam arcessitos laeto animo accipiebat eosque oblectabat, cum rudimenta christianae doctrinae nimia amabilitate eis traderet, matris sedulitate fultus.

Quindecim autem annos natus, consociationi *Giovani Cattolici* nuncupatae adhaesit, cui postea praefuit. Interea prima indicia vocationis ad vitam sacerdotalem animadvertit, ideo, gymnasiali ac liceali institutione in dioecesano Seminario completa, adiit Congregationem Clodiensis Oratorii Sancti Philippi Neri, cupiens se ad vitam simul contemplativam et activam conferre in caritate progrediendo. Itaque, studiorum curriculo expleto, die 28 mensis Martii anno 1914 sacerdos ordinatus est.

Constanter animo intendit sese pro animabus praecipue multorum puerorum ac iuvenum civitatis impendere. Quapropter sodalicium lusorium condidit ad pueros civili et christianae educationi reducendos in ipso aetatis discrimine, quo adulescentuli vitae dignitatem percipiunt ac dirigunt. Amabili auctoritate praeditus, suorum 'improbulorum' cor subegit, lusu animans atque se eorum aedificationi proponens innocentiae et christianae sedulitatis exemplar. Reapse eminet Pater Raimundus sicut verus iuventutis apostolus, immo – ut ita dicam – 'puerorum presbyter', 'puer ipse cum pueris ex animo factus' exemplo Sancti Philippi Neri.

Anno 1921 sodalicium 'Divo Hieronymo Emiliani' (nunc vero ipso Servo Dei) dicatum dirigendum suscepit; quod sodalicium praesertim minoribus civitatis Clodiae patebat ut quibus nimia paupertate ac egestate affectis. His omnibus, plerumque calceamentis ac vestibus carentibus vel etiam derelictis, et tempus et laborem et ingenium largiebatur quasi benignus pater ac misericors.

Ipse vera iuris ac theologiae eruditione solidaque Scripturarum ac Patrum doctrina imbutus, ab anno 1921 ad annum 1958 innumeris Philippianorum Congregationis coetibus sive nationalibus sive internationalibus interfuit, amplas renovationes suggerens, constitutionibus Oratorii Sancti Philippi Neri producendas. Ab anno 1932 ad annum 1948 aliquot sacerdotum coetibus praefuit, vulgo *Sacerdoti adoratori* et *Unione Apostolica del Clero* dictis; cooptatus est etiam in Dioecesanum Consilium ad musicam sacram promovendam pariterque in Consilium Dioecesanum III Eucharistico Congressui exsequendo.

Presbyterali insuper vita perlaetus eminentique pietate flagrans, Servus Dei munere confessarli in seminario Clodiensi multos per annos functus est, cum magister pietatis et sacerdotibus et monialibus et christifidelibus evaderet, quibus dono suum testimonium fidelitatis Christo redderet: humilis, sui ipsius abnegandi devovendique studio continenter sanctitatis viam sequebatur, quam omnibus suadebat. Cui quidem fulcimento fuerunt mira apostolica caritas et firmum cum Deo conloquium ope eucharistici mysterii cultusque marialis. Reapse multas per horas die noctuque orabat ac meditationi instabat, cum asperitates libenter Dei amore toleraret – iuxta antiquam Philippianorum sodalium traditionem – quasi hostia piacularis pro peccatis hominum erga Cor Iesu Sacratissimum. Ad signa temporum animo singulariter intentus, tum proprio vivendi modo tum arte sua paedagogica educandi, Servus Dei duo proposita perspexit magni momenti: catecheticam et liturgicam actuositatem promovendam ad maturitatem christifidelium concurrentem, nencnon cleri culturam instituendam ac firmandam; simulque Ecclesiam populo immixtam et operam pauperrimis navantem somniavit.

Cum autem anno 1948 Veronam missus esset, ibi novem annos moratus munere parochi ac praepositi functus est, ut illam communitatem secundo universali bello offensam auxilioque indigentem restitueret; ibique Boni

Pastoris imaginem expressit. In qua civitate insuper donis prudentiae et consilii, mansuetudinis et spei auxiliatus est Instituto Paupercularum a Domo Nazarethana, quod a venerabili Servo Dei Philippo Bardellini, sacerdote Congregationis Oratorii, conditum fiierat. Dein Clodiam anno 1957 reversus, pristino fervore pueris erudiendis ac seminarii alumnis colendis operam iterum impendit, aetate provecta et acri morbo iam dudum eum torquente neglectis.

Die 7 mensis Iunii anno 1964 Clodiae in ecclesia Philippianorum, quamvis viribus enervatus, tamen quinquagesimum sui sacerdotii iubilaeum celebravit, praesentibus confratribus, sacerdotibus, discipulis, Oratorii pueris multisque christifidelibus. Extremis verbis «Vivite in caritate» confratres ac discipulos hortatus est die 18 mensis Iulii anno 1964, priusquam animam suam ederet. Nunc corpus eius in ecclesia Clodiensis Oratorii devote asservatur, quasi pignus caelestis patrocinii.

Sanctitatis fama, quae vivum circumdederat, ita eo mortuo increbruit, ut Causa eius beatificationis et canonizationis inita fiierit apud Curiam Episcopalem Clodiensem per dioecesanam Inquisitionem a die 9 mensis Iulii anno 1991 ad diem 25 mensis Aprilis anno 1994 habitam, cuius auctoritas ab hac Congregatione confirmata est Decreto diei 15 mensis Octobris anno 1994. *Positione* parata, iuxta consuetam formam excussum est an Servus Dei virtutes in gradu heroico exercuisset. Die autem 17 mensis Octobris anno 2013 felici exitu Congressus Peculiaris Theologorum Consultorum habitus est. Patres Cardinales ac Episcopi in Ordinaria Sessione die 21 mensis Octobris anno 2014 celebrata, cui ego Angelus Amato Cardinalis praefui, Servum Dei in gradu heroico virtutes theologales et cardinales aliasque iis adnexas exercuisse fassi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Raimundi Calcagno, Sacerdotis e Congregatione Oratorii S. Philippi Neri, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2014.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

DUBLINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Sullivan Sacerdotis Professi e Societate Iesu († 1861-1933)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum et regnum caelorum » (*Mt* 5, 3).

Quae beatitudo Domini Iesu vitae, sanctitatis et orationis Servi Dei Ioannis Sullivan summarium esse videtur. Ille enim, postquam ad catholicam fidem adductus est, se Christo totum dedicavit, qui et amore egentium et cura aegrotantium praesertim manifestavit.

Servus Dei, die 8 mensis Maii anno 1861, Dublini natus est. Parentes autem eius diversae confessionis erant: pater quidem, *Sir* Edward Sullivan, primus inter iudices Hiberniae (*Lord Chancellor*), sodalis Ecclesiae Anglicanae erat; mater autem, Bessie Josephine Sullivan, catholica. Ioannes quidem, die 15 mensis Iunii anno 1861, in anglicana ecclesia Sancti Georgii baptizatus est et in confessione patris educatus.

Anno 1873 ad collegium in civitatem *Enniskillen, Northern Ireland* (*Portora Royal School*) missus est, ubi iam fratres eius alumni erant. Hoc collegium inter primas scholas protestanticas in Hibernia aestimabatur. Quo in collegio Ioannes ita contentus erat ut, studiis adimpletis, ab illo lacrimans, ut ipse dixit, discederet. Postquam Portora reliquit, Ioannes ad universitatem Collegii Trinitatis Dublini ivit, ubi studiis classicis vacare incepit. Has autem doctrinas post aliquos annos summa cum laude perfecit, palma in litteris classicis accepta. Quibus consummatis, studia iuris assumere incipiebat quando pater eius, Sir Edward Sullivan, inopinato mortuus est. Tanto dolore affectus, Ioannes Hiberniam reliquit et Londinium venit ut studia iuris ad finem perduceret, id quod anno 1888 denique fecit. Sequentibus annis Servus Dei, hereditate affluente accepta, iucunde Londinii locuples vivebat. Multum tamen ei placebat amoena Europae loca peragrare, exempli gratia Montem *Athos* in Graecia, ubi monachos amicitia sibi coniunxit.

Anno vero 1896, ipse triginta quinque annos natus, vitam suam mutavit cum ad catholicam fidem in ecclesia Societatis Iesu, *Farm Street*, Londinii, conversus esset. Ab illo tempore mores singulariter permutavit. Ad domum familiae suae Dublini reditus, modum vitae simplicissimum amplexus est.

Ioannes enim, supellectibus magni pretii e cubiculo suo eiectis, se ad curam proximorum vertit, aegros in nosocomiis crebro visitans et dona pauperibus largiens. Sanctitatem ergo suam primo in anglicana Ecclesia didicit, quod autem fundamentum postea in Ecclesia catholica fructum tulit.

Mense Septembri anno 1900, Ioannes Sullivan in Societatem Iesu ingressus est. Primum duos annos novitiatus in Collegio Sancti Stanislai, *Tullamore, Ireland*, degit, tum studia philosophica in Collegio *Stoneyhurst* in Anglia prosecutus est. His confectis, cursus theologiae in *Milltown Park*, Dublini, suscepit, quo in loco die 28 mensis Iulii anno 1907 presbyter ordinatus est. Statim post ordinationem ad Collegium Cluensem (*Clongowes Wood College, Clane, Co. Kildare*) missus est, ubi ministerium pastorale et vitam orationis instituit. Ille autem mox a multis tamquam «sanctus» considerabatur. Cum alumni se ab homine sancto doctos fuisse dicebant, tum multi, in hac regione extra collegium habitantes, sanctitatem eius agnoscere incipiebant immo multi eum consulere assueti erant. Qui autem, anno 1919, mense Iulio, tamquam Rector Iunioratus et Domus Exercitiorum (*Rathfarnham Castle*) nominatus est, quod munus usque ad mensem Maii anno 1924 praestitit.

His annis vitam suam in paupertate et paenitentia pergebat dum scholasticos summa cum benignitate tractabat, quibus autem exemplum paupertatis religiosae et egestatis personalis fuit. Ille quidem nosocomia urbis visitare et alia opera et spiritualia et corporalia efficere pergebat quatenus munera Rectoris permittebant. Ipse enim curam animarum multa cum fama sedulo persequebatur et exercitia spiritualia multis religiosorum communitatibus praedicabat. Sancto Ignatio de Loyola duce, in omnibus temporum et locorum condicionibus maiorem quaesivit Dei gloriam, qua re et alumnos instituit. Alta fuit in corde eius eucaristicha et mariana spiritualitas, firma et praecipua fides, constans et magnanima caritas eius.

Servus Dei, die 11 mensis Februarii anno 1933, Dublini mortuus est et in coemeterio Collegii Cluensis, *Clongowes*, magna turba hominum congregata, sepultus. Omnes qui hunc praeclarum sacerdotem cognoscebant, numquam in dubio de sanctitate eius erant. Hac sanctitatis fama, Causa beatificationis et canonizationis eius inita fuit apud Curiam Archiepiscopalem Dublinensem per Processum ordinarium a die 30 mensis Octobris anno 1947 ad diem 4 mensis Iulii anno 1960, cui secuta est Inquisitio dioecesana suppletiva a die 22 mensis Februarii anno 2000 ad diem 8 mensis Iunii anno 2001: horum

auctoritas ab hac Congregatione confirmata est Decreto diei 18 mensis Octobris anno 2002. *Positione* parata, iuxta consuetam formam excussum est an Servus Dei virtutes in gradu heroico exercuisset. Die autem 26 mensis Novembris anno 2013 felici exitu Congressus Peculiaris Theologorum Consultorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione die 21 mensis Octobris 2014 celebrata, cui ego Angelus Card. Amato praefui, Servum Dei heroico in gradu virtutes theologales, cardinales aliasque iis adnexas exercuisse fassi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodiemo die declaravit: C*onstare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Sullivan, Sacerdotis Professi e Societate lesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2014.

ANGELUS card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

GOIASENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pelagii Saúter Sacerdotis Professi Congregationis SS.mi Redemptoris († 1878-1961)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Ecce ego, mitte me» (*Is* 6, 8).

Missionaria Prohetae Israel vocatio in experientia Servi Dei Pelagii Saúter, «Apostoli Goiasensium» recte appellati, magnopere resonat. Ille ardenti fide ac magnanima actione apostolica sensum vitae in Domini sequela invenit et complevit.

Servus Dei die 9 mensis Septembris anno 1878 in Germanico oppidulo vulgo *Hausen am Thann* natus est atque triduo post baptizatus. A parentibus est bene institutus; alius quoque frater, cui nomen Gaspar, est deinceps factus sacerdos e Congregatione Sanctissimi Redemptoris. Anno 1892 Pelagius Primae Communionis et Confirmationis sacramenta recepit.

Biennium in officina ferraria tirocinium explevit, sed vocationis signa ad vitam religiosam mox percepit. Quapropter anno 1895 in pago *Bachham* Congregationis SS. Redemptoris Seminarium ingressus est. Postea in oppidis *Dürrnberg* – ubi Beati Gaspari Stangassinger discipulus fuit – et *Gars* studiis vacavit. Anno 1901 religiosam vestem induit et insequente anno vota nuncupavit. Die 16 mensis Iunii anno 1907 sacerdotio est auctus.

Aliquot post menses, ut in Brasiliani se tamquam missionarium conferret invitatus, Servus Dei condicionem, cum missionibus exteris incumbere semper cupivisset, libenter accepit. Quam ob rem Augusto mense anno 1909 ad urbem Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii una cum quattuor sodalibus appulit: numquam in patria postea revertisset. Quinque primos per annos in quibusdam Paulopolis paroeciis, deinde celebri in sanctuario Apparitiopolitano, postremo ministerium plerumque semper in municipio *Camphinas-Goiás* exercuit.

Nonnulla munera pastoralia obiit, sed apostolatui praesertim itineranti se dedit, milia passuum centum, saepe equo, percurrendo atque communitates per latam regionem disseminatas lustrando. Aliquantum temporis apud Goiasense sanctuarium, Sanctissimae Trinitati dicatum, sese in plurimos peregrinos excipiendos impendit. Peculiarem de pauperibus et aegrotis, quos

in ipsorum domibus assidue visitabat, curam adhibuit. Quinque ultimis annis totum ad pastorale ministerium pro infirmis se contulit.

Semper vigilans et alacer, «Pater» (sicut communiter vocabatur) consolatione interiore spiritalique directione indigentibus, multis sacerdotibus ac religiosis comprehensis, opus etiam navavit. Quod secundum generosam caritatem omni tempore est effectum.

Sollers hilarisque, Pater Pelagius tranquillam itemque tenacem indolem continenter patefecit. Illius spiritualitas penitus Christiana nitebatur perpetua conscientia vivendi in alta cum Domino communione, quae oratione et imprimis fervida celebratione eucharistica firmabatur et corroborabatur. Admodum notus necnon existimatus a vulgo, ad cuius utilitatem singulares dotes naturales spiritualesque explicavit, Servus Dei omnium necessitatibus et incommodis semper occurrit. Cuius amabilis fortisque personalitas profundae interioritati se mire coniunxit atque amore perfundentis necnon attrahentis vitae generis fuit causa.

Eius opera pastoralis fidei, in infantia apud familiares iam acquisitae, cum Christo necessitudine magis magisque imbutae, Dei Verbo et oratione alitae, plena experientia fundabatur. In Redemptoristarum charismate Servus Dei proposito suo spirituali, quod peregit cum simplicitate, puritate ac promptitudine erga materiales intimasque fidelium necessitates, aptissimum locum invenerat. Omni occasione numquam defuit quo minus evangelicum nuntium, pauperibus et aegrotis potissimum subveniendo, traderet.

Illius obitus quoque cum caritatis actu est conexus: Servus Dei infirmum enim adierat, cum, imbre oppressus, gravi peripneumonia est correptus. Pater Pelagius receptus est in nosocomio, ubi eidem curationes sunt amanter ministratae. Successit tamen emphysema pulmonare, quod una cum aliis implicationibus senilique consumptione ad mortem eum duxit. Post hebdomadam, qua excruciatibus est vexatus, Servus Dei die 23 mensis Novembris anno 1961 pie in Domine obdormivit. Illus exequiis magna fidelium participatio clarum fuit signum sanctitatis famae, qua in vita est gavisus.

Hanc ob famam, a die 20 mensis Novembris anno 1997 usque ad diem 21 mensis Martii anno 1999 apud Curiam Episcopalem Goiasensem celebratus est Processus Informativus, cuius auctoritas et vis iuridica Decreto die 1 mensis Iulii anno 2003 ab hac Congregatione de Causis Sanctorum sunt agnitae *Positione* confecta, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 14 mensis Februa-

rii anno 2013 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 4 mensis Novembris anno 2014, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Pelagii Saúter, Sacerdotis professi Congregationis SS. mi Redemptoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2014.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 17 Augusti 2016. — Cathedrali Ecclesiae Brigantiensi de Para, Exc. mum D. Iesum Mariam Cizaurre Berdonces, O.A.R., hactenus Episcopum Cametanensem.

die 23 Augusti. — Ecclesiae Memphitanae in Tennesia, Exc.mum D. Martinum Davidem Holley, hactenus Episcopum titularem Rusubisiritanum et Auxiliarem archidioecesis Vashingtonensis.

die 25 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Azurensi, R.D. Georgium Humbertum Rodríguez-Novelo, e clero archidioecesis Denveriensis ibique Curionem paroeciae Sanctae Crucis in oppido Denveriense, quem deputavit. Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 31 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Ioannis de Cuyo, Coadiutorem D. Georgium Eduardum Lozano, hactenus Episcopum Gualeguaychensem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 1 settembre, S.E. il Signor Francisco Mariano Fernández Amunátegui, Ambasciatore del Cile;

Venerdì, 2 settembre, S.E. il Signor Antonio Zanardi Landi, Ambasciatore del Sovrano Militare Ordine di Malta.

Il Romano Pontefice ha inoltre ricevuto in Udienza:

Venerdì, 2 settembre, L'Onorevole Winfried Kretschmann, Ministro Presidente del Baden-Württemberg.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

6 agosto 2016 S.E.R. Mons. Salvatore Pennacchio, Arcivescovo tit. di Montemarano, finora Nunzio Apostolico in India e Nepal, *Nunzio Apostolico in Polonia*.

22 » » S.E.R. Mons. Michael W. Banach, Arcivescovo tit. di Memfi, Nunzio Apostolico in Senegal e in Cabo Verde e Delegato Apostolico in Mauritania, *Nunzio Apostolico in Guinea Bissau*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

15 agosto 2016 S.E.R. Mons. Kevin Joseph Farrell, finora Vescovo di Dallas (U.S.A.), *Prefetto del* nuovo *Dicastero per i Laici, la Famiglia e la Vita*.

» » » S.E.R. Mons. Vincenzo Paglia, *Gran Cancelliere del Pontificio Istituto "Giovanni Paolo II" per Studi su Matrimonio e Famiglia, in deroga all'Art. 6 degli Statuti del medesimo Istituto,* e *Presidente della Pontificia Accademia per la Vita*.

» » » Il Rev.do Mons. Pierangelo Sequeri, Preside della Facoltà Teologica dell'Italia Settentrionale di Milano, *Preside del Pontificio Istituto "Giovanni Paolo II" per Studi su Matrimonio e Famiglia, in deroga all'Art. 8 degli Statuti del medesimo Istituto*.

31 » » L'Em.mo Card. Peter Kodwo Appiah Turkson, finora Presidente del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace, *Prefetto del* nuovo *Dicastero per il Servizio dello Sviluppo Umano Integrale.*

1 settembre » Il Rev.do Sac. Aurelio García Macías del Clero dell'Arcidiocesi di Valladolid (Spagna), *Capo Ufficio nella Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti*.

NECROLOGIO

6	agosto	2016	Mons. Ercole Lupinacci, Vescovo em. dell'Eparchia di Lungro degli Italo-Albanesi dell'Italia Continentale (*Italia*).
»	»	»	Mons. Salvador Q. Quizon, Vescovo ausiliare em. di Lipa (*Filippine*).
8	»	»	Mons. Edward Kevin Daly, Vescovo em. di Derry (*Irlanda*).
10	»	»	Mons. Miguel Asurmendi Aramendia, S.D.B., Vescovo em. di Vitoria (*Spagna*).
11	»	»	Mons. Francesco Sgalambro, Vescovo em. di Cefalù (*Italia*).
14	»	»	Mons. Raphael Cheenath, S.V.D., Arcivescovo em. di Cuttack-Bhubaneswar (*India*).
16	»	»	Mons. Jorge García Isaza, C.M., Vescovo tit. di Budua (*Colombia*).
»	»	»	Mons. Richard Stephen Seminack, Vescovo dell'Eparchia di *Saint Nicholas of Chicago* degli Ucraini (*Stati Uniti d'America*).
18	»	»	Mons. Jan Van Cauwelaert, C.I.C.M., Vescovo em. di Inongo (*Repubblica Democrarica del Congo*).
19	»	»	Mons. Judes Bicaba, Vescovo di Dédougou (*Burkina Faso*).
22	»	»	Mons. Girolamo Grillo, Vescovo em. di Civitavecchia-Tarquinia (*Italia*).
1	settembre	»	Mons. Thomas G. Doran, Vescovo em. di Rockford (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. Frederick Drandua, Vescovo em. di Arua (*Uganda*).